DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WILMOT,

Anglus.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

CHIRURGIS SPECTATISSIMIS

NOSOCOMII BRISTOLIENSIS,

QUORUM SUB DUCTU ET AUSPICIIS

ARTIS APOLLINARIS PRIMORDIA INIVIT,

CUM ANIMO GRATISSIMO,

HAS PAGINAS

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

Auctore GULIELMO WILMOT.

MULTI auctores doctissimi, tum veteres tum recentiores, morbum, de quo acturus sum accurate investigarunt; sed, ob ejus pathologiam difficilem, qualiscunque de eo exploratio decurtata est. Illi tamen haud parum ad indagationem futuram dirigendam, effecere. Juniorum est experientia sapientum proficere; ideoque hunc morbum, quanquam revera satis obscurum, de quo pauca conscribam, e malis fere innumeris, quibus corpus humanum patet, selegi, quippe

quia duces tam multos præclaros, qui meum iter indicent, habeam; simul quidem sperans, veniam mihi datum iri, propter annos paucos, experientiamque adhuc breviorem, obstantes, quominus cuncta, quæ Alma Mater jubet, rite peragam.

Epilepsia (vocabulo Græco επιλαμβανομαι oriunda) malum est, quod cum alio quovis vix confundi potest; adeo insignia sunt ejus indicia. Ad hæc recensenda jam progrediar. Sed interea, quod ad definitionem attinet, quoniam quæ a celeberrimo CULLENO traduntur definitiones rarissime meliores reddi possunt, illius hic, verbis, " motus abnormis" in locum vocabuli " convulsio" tantummodo suffectis, proponam. Sic legi potest: " Motus abnormes musculorum cum sopore." Hæc definitio fortasse signa morbi omnia complecti nequit; sed quoniam ex his præcipua paucis tradit, ad consilium nostrum sufficiet.

Epilepsia sæpe subito aggreditur, nullis indiciis prægredientibus, quæ ejus adventum prænuncient; sensus viresque motus voluntarii ex toto deficiunt, ægerque, si antea stabat, a centro gravitatis titubat atque humi procumbit; statim musculi motus voluntarii vehementer convelli in-

cipiunt. Haud raro musculi lateris unius quam alteriusvehementius agitantur. Convulsiones musculos faciei insigni modo corripiunt; oculi aperti sunt et plerumque retroversi, adeo ut, quod in iis album est, solummodo spectari possit. Vultus modis diversis distrahitur. Spumæ sæpe ex ore eduntur. Lingua se projicit, et multum actione musculorum ad maxillam pertinentium colliditur. Respiratio difficilis est, et abnormis, neque raro strepens: pulsus acceleratur, et abnormis evadit. Hæ vellicationes convulsivæ nonnunquam post horæ minuta aliquot penitus desinunt, aliquando tamen post intervallum breve vi duplici rediturae. Paroxysmus raro diutius quam horæ quadrantem perstat; deinde æger per spatium temporis longius breviusve comate soporatur; aliquando in convulsiones iterum relabitur; sed plerumque sensus mensque sibi conscia paulatim redeunt. Dum sese a paroxysmo recipit, fere de sensu oppressionis in capite cum stupore conqueritur. Interdum quumprimum impetus relinquit, surgere et ambulare valet. Sæpissime vero miser, præsertim si morbus corpus firmiter prehenderit, de impetu adventuro signis certis præmonetur; quæ, etsi brevi tantum antecedant,

tamen illum ad sese in malum expectatum parandum juvent. Quæ paroxysmum antecedere solent indicia, sunt visus caligo, gravitas, dolor, ardor et scintillatio oculorum, imagines fallaces visum illudentes, et cætera ejus modi. In opere Doctoris MASON GOOD * exemplum narratur fœminæ cujusdam, quæ, imagine quasi sui in speculo visa, de paroxysmo accessuro monebatur. Præterea adsunt capitis dolor, vertigo, partium extremarum frigus; omnium vero symptomatum longe frequentissimum est, Aura Epileptica, sive sensus quidam serpens tremoris, frigoris, seu torporis, a partibus extremis plerumque incipiens, et caput versus ascendens, quo cum pervenerit, actio convulsiva instat.—Hæc autem morbi forma minime sola est; nonnunquam spasmi indolem tetanicam inducunt, atque, uti Dr PRITCHARD doctissimus in suo opere egregio (De Morbis Nervosis, p. 90.) bene depinxit, vice contractionum et relaxationum musculorum alternarum, rigiditas universa fibrarum musculosarum accedit. Epilepticus obtutu efferato hæret; pupillæ contrahuntur, neque lucis stimulum sen-

---

* Stud. Med. vol. iii. p. 540.

tiunt. "Aliquando erigitur quoque penis in infantibus; in adolescentibus semen ejicitur; et sæpius urina ad magnam distantiam prorumpit." Ab eodem auctore egregio, species alia morbi memoratur, cui nomen "Leipothymia Epileptica" imponit, quæque ex aggressione comatis subita cum relaxatione fibrarum musculosarum generali constat. Tales sunt hujus morbi formidolosi species.

Jam superest, ut Causas ejus memorem, quas ordinis gratia ad Prædisponentes et Excitantes referre placet. A D^re PRITCHARD, in opere jam citato (p. 94), dicitur, nullum temperamentum præ cæteris obnoxium esse. Ait, enim, se in quoque corporis habitu, ab exemplaribus sanguinei quam maxime exactis ad melancholicum optime notatum, hoc malum accidere conspexisse; quinetiam, se plures coloris vultus eximii et florentis, capillisque albo-flavis instructos, ita laborare vidisse nos certiores facit. Celeberrimus CULLENUS (*First Lines*, p. 368), corporis quanquam mobilitatem, proclivitatem efficere censet. Talem mobilitatem alicui adesse, magna inconstantia animi, atque pathemata vehementia impressionibus satis quidem levibus excitata, monstrant; vocabulum, vero, ipsum "mobilitas" scilicet, quid

ille auctor intelligi velit, satis luculenter ostendit. Hanc mobilitatem e gradu irritabilitatis majori constare, et debilitate potissimum pendere, arbitratur. Quantum in hoc debilitas, fortasse irritabilitatem inducendo, valeat, hinc plane conspici posse dicit, quod juvenes tenelli, fœminæque, et alii manifeste debiliores, hoc vitio præ cæteris omnibus plectuntur. Plethoram quoque pro causa prædisponente effectuque debilitatis habet. Alia est adhuc opinio vulgo recepta, proclivitatem, videlicet, ad morbum comitialem capiendum hæreditariam esse ; ad quam quidem sententiam comprobandam historiæ prope innumeræ narrantur. Aliud memorandum superat, quod ad morbum sacrum proclivitatem dare posse videtur ; status, scilicet, somni. Conditio ista insignis quæ ad Epilepsiam proclives reddit, arenam explorationis latissimam recludit. Etiam Hippocratis temporibus nexus Apoplexiam inter et Epilepsiam annotatus est ; et hanc in illam sæpe desinere ab illius interprete Martiano memoratum est. Investigationem sæpe repetitam opinioni favere credo, prædispositionem in cunctis morbis nervosis eandem esse, atque, quæcunque acciderint, diversitates e causis exci-

tantibus diversis pendere. Dr Parry, in libro suo præclaro, titulum "Elements of Pathology and Therapeutics" habente, hanc sententiam multo altius persequitur, morbosque omnes unam originem communem habere, eamque generi vasculari inesse, censere videtur. Vasa cerebri eorum, qui Epilepsia mortui sunt, plerumque sanguine referta inveniri, nemo est, ut opinor, qui dubitet. Exempla, tamen, narrantur nonnulla, ubi nil morbosum cerebro epilepticorum post mortem reperiri potuit; auctorque ille Dr Pritchard, qui in hoc tentamine tam sæpe citatur, haud unum tantummodo hujusmodi exemplum seipsum vidisse fatetur. Si, igitur, Epilepsia in corpore gigni queat, neque tamen indicia ulla actionis morbosæ prægressæ in cerebro spectentur, sedem morbi alibi inhærere oportet. Nihilominus, ob turgidam conditionem cerebri vasorum tam sæpe repertam, parum dubii est, quin hic quam alibi causa excitans sæpius agat. Multi olim fuerunt, et adhuc sunt, qui sanguinis distributionem abnormem morborum plurimorum fontem esse solum crediderint; et eorum esse sæpe causam excitantem observatio quotidiana testari videtur; nisi hæc vasa ipsissima actionem novam

suscipiant, qua impetus humoris circumacti augetur, quomodo derivatio talis cietur? Momentum circuitus auctum, corporis exercitatione effectum, minime nocet, quippe quod generale sit. Sin autem momentum istud vasis quibusdam tantum communicaretur, fabrica tenella organorum per quæ in ramulos distribuuntur, læsa foret; hoc sæpe revera accidere, procul dubio est. Hanc, autem, actionem novam vasorum vi aliqua fortuita induci oportet, et quæ tandem vis alia, nisi nervorum, vasis tale actionis augmentum suppeditare valet? Dr MONRO Tertius, in suo libro utilissimo (titulum "Elements of Anatomy," p. 303.), tradat se pulsationem arteriæ femoralis, quando hæc nudata fuerat, cessare vidisse. Hoc, ut mihi videtur, vim nervorum in arterias quam apertissime monstrat; quomodo enim hujus ratio quælibet reddi potest, nisi stimulum aëris, nervos partis ejus afficientem, paralysin ex parte induxisse credamus? Fatendum est profecto, scientiam de genere nervoso nostram omnino exiguam esse; attamen operæ haud parum a physiologis impensum est, ut leges, quibus regitur, pro comperto habeant. Nomina HALLER et MONRO tantum memorare

necesse est, ut credamus, basin esse aliquam, qua ratiocinatio nostra nitatur. Nervos instrumenta esse sensus motusque voluntarii multa comprobant, nil vero planius, quam ligatura nervo imposita, quæ partes, quibus ille impendebatur, facultatibus illis statim privat. Dr Monro, ad paginam 315^{am}, postquam monstra nata esse acephala dixit, adjicit porro, multa ex animalibus inferioribus nervis instrui, sed cerebro carere, et ita pergit: "From these facts it may be inferred, that there is an energy in the nerves independent of the brain." Nervi sunt chordæ cylindriformes, in ramulos innumeros divisæ. Ab hoc consilio meo alienum foret, hoc argumentum altius persequi. Nervi, quoniam per eos cum rebus externis commercium, motusque voluntarii principium habemus, vi quadam insigni pollent; et hanc vim abnormiter distribui posse, ex symptomatis morbi, de quo nunc agitur, admodum verisimile videtur. Fœminam etiam delicatissimam hujus mali paroxysmo laborantem, famulos tres aut quatuor, ut contineatur, requirere videmus; idque sine dubio, ob vis nervosæ in musculos affluxum auctum, unde omnes eorum fibræ ad actionem cientur. Nonne vero hæc distributio abnormis

vis nervosæ sese variis modis prodere potest? Si ad arterias accedat, actionem ibi præter naturam suscitat; et hinc fortasse sanguinis impetus ad partes quasdam præ cæteris nimii oriuntur. Effectum sanguinis detractionis immodicæ in genus nervosum talem esse, ut actio convulsiva ante mortem arcessatur, bene notum est. Hæc duo genera igitur, nervosum, scilicet, et vasculare, a se invicem pendere videntur; adeo quidem ut in exemplis permultis hæc vis nervosæ distributio abnormis sese per impetum quendam sanguinis prodat, vel, ut aliter dicam, hic illius effectus sit. Dr D. Pring, in opere suo titulum "Exposition of the Principles of Pathology, and of the Treatment of Diseases" (p. 195.), hæc habet: "As the blood is passive, we have seen that the irregularities of its distribution are owing to local states of function connected with the vascular system. Excessive repletion, or the production of an excess of blood, by good living and good digestion, is commonly regarded as a cause of disease such as apoplexy, and of inflammations, in which the proofs of determination of blood appear the least equivocal. But as such excess of blood has the same hydraulic relation

with all the vessels, so there is no reason why one part should suffer from excess of repletion, rather than another. Yet the fact is well proved by experience, that excess of blood is frequently productive of disease." Corpora alia quam alia impressiones facilius suscipere in aprico est, et hinc discrimina temperamentorum pendent; mediumque aliquod inter eorum gradus intercedit. Nimia facilitas impressiones suscipiendi plerumque debilitatis effectus est; et quoniam hujusmodi conditio morbis nervosis maxime obnoxia est, ita sanguinis impetui nimio maxime patet. Attamen uti jam dictum est, nullum temperamentum præ cæteris epilepsiæ proclive est; si enim impressio satis valida facta sit, generis nervosi æquilibrium æque ac in exemplo priori deturbari queat. Ut signa morbis nervosis singulis propria dentur, varietates quædam causæ ejusdem solæ necessariæ esse videntur, uti ab altero illorum in alterum, et vice versa, commutato monstratur. Sic potestas in se invicem transeundi, inter morbos sequentes intercedit; apoplexiam inter et paralysin, atque epilepsiam et maniam; maniam inter et epilepsiam; vertiginem inter et epilepsiam; tremorem; somnambu-

lismum; choream; hysteriamque; aliaque generis nervosi vitia. Mobilitas igitur corporis a Doctore CULLENO prolata, status iste generis nervosi, ubi impressiones leves æquilibrium ejus deturbant, me judice, definiri potest. Quando hæc conditio insignis adest, causis excitantibus, quales subjiciuntur, facile commovetur; pathematis mentis vehementibus, uti, gaudi, ira, tristitia, metu, horrore. Priora quippe quæ humoris vitalis circuitum accelerent, effectum insignem in genus nervosum præstare perspicuum est. Horrorem cor et arterias aliter afficere ex verbis Doctoris CULLENI subjectis discimus: "As horror is often a cause of syncope, there can be no doubt of its manner of operating in producing epilepsy; and it may perhaps be explained upon this general principle, that, as desire excites action, and gives activity, so aversion restrains from action, that is, weakens the energy of the brain; and therefore that the higher degrees of aversion may have the effect of producing syncope or epilepsy." Præter pathemata mentis, multæ corporis ipsius irritationes, veluti auris ab inflammatione, abscessu vel quovis insecto, aut re alia extranea eam casu ingressa, epilepsiam excitare possunt. Causa

vero ejus excitans fortasse frequentissima est fluxus catameniorum abnormis. Hic verba Doctoris Pritchard ipsa subjicere fas sit, in opere antea citato: "The laws of the animal economy require a new set of operations to be set up in the system at this time, in the place of which, when they are not regularly performed, a variety of tumultuous efforts ensue; and among phenomena of this class none is more frequent than epilepsy. In fact, there is no time of life, in females, at which it so frequently makes its appearance." Eo tempore fœminarum vitæ complura symptomata indolis hystericæ sese ostendere solere, bene notum est. Neque profecto multum dubito quin hoc sit effectus proprius status istius generis nervosi antea depicti; in eo enim corrigendo, illa remedia, quæ corpus in universum afficiunt, veluti venæsectionem, balneumque calidum, sola prodesse invenimus. Affectiones uteri quædam pari ratione epilepsiam haud secus ac hysteriam antecesserunt. Atque nonnunquam hæc in illam desinit, ubi conditio supra dicta subest. Suppressio vero repentina exinanitionum fere omnigenarum, si aliquamdiu perstiterint, aggressionem epilepsiæ prægressa est. Ex-

emplum hujusmodi insigne narratur, ubi hujus morbi paroxysmus diarrhœam vetustam nimis subito cohibitam excipit, (in Eph. Nat. Cur. Dec. 1. Ann. 1. Obs. 88.) Podagra quoque repulsa interdum excitat. Ætatibus quibusdam quam aliis impetus morbi comitialis sæpius aggrediuntur; istiusmodi sunt, infantia, si, imprimis, intestina irritatione quavis moleste habentur; tempusque dentitionis, quo quidem, dentientes isti malo admodum obnoxii sunt, at paroxysmi plerumque, irritatione sublata, desinunt. "Epilepsy," ait Dr PRITCHARD (p. 94–5), "often appears, for the first time, about the eighth, or from that to the twelfth year; and it is under these circumstances that the greatest danger exists of its becoming a habitual disease. There is still a prospect of its subsiding in males at the age of puberty, and in females at the establishment of the catamenia; but if these periods pass over, and the disease subsist through the changes, which the habits of the constitution then undergo, there is great danger of its continuing through life."

Multæ sunt aliæ causæ excitantes, quæ in cerebro ipso sedem habent; veluti spicula ossis a

fractura cranii; cerebri compressio subita ex quacunque causa; caries ossium; exostoses; tubercula in substantia cerebri; morbi meningum. Alia est etiam causa morborum nervosorum creberrima, usus, nimirum, immodicus et nimis frequens potionum inebriantium; perpauci quidem huic vitio indulgent, qui non serius ocyus aliquo generis nervosi morbo plectantur. Quælibet profecto, irritatio perpetua vel impressio valida, quæ æquilibrium functionis nervorum turbare queat, malum istud inducere valet; et hinc sæpe quasi morborum aliorum symptomaticum conspicitur. Causis hujus morbi ita perspectis, jam ad indicia, quæ sese, cadavere inciso, in conspectum edunt, recensenda progrediar. MORGAGNI * in eorum cadaveribus patefactis qui epilepsia fuerunt mortui, læsionem cerebri organicam fere semper reperit. Aliquando tamen originem morbi læsionibus partium remotarum tribuit; quæ quidem læsiones, sub tempore paroxysmorum epilepticorum sanguinis ad caput impetum, et, si diutius durarint, structuræ morbum ibi loci efficere possunt. Quoniam hic morbis cum aliis adeo

---

* Vide "COOKE's Abridg. of MORGAG." sect. 7.

sæpe conjungitur, indicia morbosa, corpore aperto, diversissima fore par est expectare; atque profecto rem se ita habere invenimus. Viscera nunc thoracis, nunc abdominis, signa actionis morbosæ prægressæ, veluti adhæsiones, vascularitatem auctam, effectusque diversas inflammationis acutæ et vetustæ, monstrant. Hanc occasionem non possum prætermittere exemplum a Doctore PARRY traditum in ipsius verbis memorandi, quod nexum inter morbos diversos intercedentem quam luculentissime ostendit: "A gentleman had the following succession of maladies: gout, often alternating with enteritis, followed by apoplexy and hemiplegia. The latter complaints were relieved. Then occurred enteritis, and in its place an almost total want of the secretion of urine, without fever. This last symptom was succeeded by gout, which gave place to fever, attended with erysipelatous inflammation of the stomach, and fatal sanguineous vomiting, during which the urine was restored to its natural colour and quality." Talis morborum indolis inflammatoriæ series, istam generis

* Med. Chir. Rev. 1822–3, p. 34.

morbosi conditionem insignem antea depictam hic adfuisse certe demonstrant. Ostendit quoque apertissime quam multorum malorum parens fieri possit. Si autem viscera supra memorata nonnunquam inflammationem ante aggressam esse testentur, attamen indicia morbosa nequaquam in iis ac in cerebro adeo frequentia sunt; hoc enim viscus profecto vix unquam a paroxysmo epileptico incolume præstatur. Dr Cullen, dum de irritationibus cerebro proxime admotis agit, quasque distensioni nimiæ vasorum ejus organi sanguiferorum deberi censet, ait (p. 355^tum): "That such a cause operates in producing epilepsy, is probable from this, that the dissection of persons dead of epilepsy has commonly discovered the marks of a previous congestion in the brain." Quæ in cerebro post mortem epileptici conspiciuntur sese, me judice, ad effectus actionis vasorum auctæ, atque congestionis referunt. Signa horum sunt, seri effusiones in cavo cerebri; sanguinis effusiones ad basin et in ventriculos; distensio vasorum, rubescentiam aliasque coloris mutationes membranarum cerebrique ipsius efficiens; partium intra cranium adhæsiones; abscessus, et densatio membranarum; itemque nunc substan-

tiæ cerebri durities universa, nunc præter naturam mollities. Hæc igitur indicia sunt quæ potissimum in cadavere epileptici reperiuntur. Ast aliud est signum morbosum attentione haud indignum, et quod a M. Esquirol sedulo memoratum est, aspectus, videlicet, medullæ spinalis ejusque membranarum morbosus. Ex decem igitur, qui ad *Salpetrière* inter initia mensium Februarii et Junii anni 1817^{mi}, epilepsia mortui sunt, novem post mortem incisi sunt; et ex his septem læsiones medullæ spinalis ejusque membranarum monstrarunt. Si hoc in memoria servemus, in hoc, scilicet, morbo musculos motus voluntarii præ cæteris convelli; si porro meminerimus, hos musculos nervis spinalibus suppleri, rationi revera consonat, credere, cerebrum vertebrale sæpius, quam olim putatum fuit, ubi quidem columna spinalis rarius inspiciebatur, affici. In sectione octava Epitomes Morgagni a Cooke editæ, exemplar octavum ita traditur: "A wool-comber, twenty-one years of age, was attacked with fever, in the course of which he was brought into this hospital, where convulsive actions were immediately observed in the muscles of the upper limbs, and consequent-

ly subsultum tendinum in both wrists. There was no inflammatory crust on the blood which was drawn, but it was of extremely dense and compact quality. An oppressive state of coma ensued, and three days afterwards he died.—*Dissection.* Having disunited the fifth and sixth vertebræ of the thorax, much serous fluid escaped from the spinal canal. The vessels of the pia mater on the posterior part of the left hemisphere of the brain were greatly distended with black blood. The medulla spinalis being attentively examined from the cranium to the fifth dorsal vertebra, the vessels of its pia mater were so exceedingly turgid with blood, especially its posterior surface, as to resemble an injected part. Even the minute vessels of the spinal nerves participated in this turgescence."

Ob causas quas Dr Sanders tradidit, par est, ut opinor, æstimare, hoc indicium creberrimum fore; istud autem mihi potius effectus quam causa actionum spasmodicarum esse videtur. Quid enim istam vasorum sanguiferorum ad originem nervorum turgescentiam efficere potuit? Non fieri potest quin adfuerit actio vasorum vel nimia vel deficiens; et nisi pro certo ponatur genus vasculare

a nervoso nullo pacto pendere, istam pro causa epilepsiæ non accipi deberi arbitror. Turbationem quamvis generis nervosi causam distributionis vis suæ abnormis esse oportere, concedendum est. Quomodo vero talis turbatio cietur? Plurima enim signa diversa conspicimus, nunc effusionem serosam, nunc vasorum turgescentiam in encephalo tantum. Ad effusionem autem serosam inducendam nonnihil vasorum turgescentiæ antecessisse necesse est, ideoque omnino a statu proprio quodam generis nervosi niti videtur.

RATIO MEDENDI.

Indicationes curatoriæ in hoc morbo ad duo genera haud inepte referri possunt. 1mo, scilicet, Irritamenta quæcunque tollere; et, 2do, Indolem generis nervosi insigniter irritabilem sedare.

Consilia prioris præcipua sunt, symptomata urgentia sublevare; et, quoniam indicia paroxysmi, veluti facies turgida et rubore præter naturam suffusa, pulsatio vehemens carotidum, pupillæ dilatatæ, stupor impetu durante, vertigo eum ante-

cedens, dolor capitis subsequens, impetum sanguinis caput versus monstrant, ad hoc sublevandum imprimis elaborare oportet; quoniam cerebrum ab impetu hujus mali tantum injuriæ sustinuisse haud raro videmus, ut non modo morbi ipsius reditus frequens, sed etiam multa præterea vitia, veluti, apoplexia, paralysis, fatuitas perpetua, amaurosis, surditas immedicabilis, et etiam mors ipsa inducantur. Ad hunc impetum caput versus compescendum, ad sanguinis detractionem, quod ad copiam attinet pro re nata regendam, utpote remedium solum confugere valemus. Ubi, igitur, morbus adhuc recens est; ubi juniores et robustos plectit, et eo magis, si inter remissiones et intervalla paroxysmorum, æger de cephalalgia, vertigine, stupore, aliisve signis ullis plenitudinis vasorum cerebri sanguinem vehentium perstantis conqueritur, hoc remedium ita adhibendum est, ut effectum aliquem manifestum in corpore præstet. Cathartica vero, rebus sic se habentibus, haud parum proderunt; et fortasse, uti a Doctore Armstrong in Febribus præcipitur, portiones plenæ Hydrargyri Submuriatis cum opio conjunctæ, huic consilio optime satisfacient. At quæ ægro cuique propria sint, in hoc morbo sa-

nando regulam optimam medenti præbebunt. Nonnunquam, vice sanguinem detrahendi, stimulantia localia, uti vesicatoria nuchæ apponenda, sufficere oportebit; atque revera purgantia, quali modo Dr Hamilton jubet, sedulo, et quamdiu necesse est, exhibita, sæpe quam alia omnia magis proficient: sic enim irritatio contraria in intestinis perpetua servatur, quæ irritationem morbosam a parte quavis alia revellere, et acrimoniam, quæcunque intestinis ipsis insit, recta eliminare queat. Si modo hoc perficiatur, quid remedium præ aliis usurpetur, minoris refert; eorum tamen mutatio et quasi vicissitudo sæpe utilissima est. Extractum Colocynthidis compositum; Hydrargyri Submurias, præsertim si visceris cujusvis congestio subest; Sulphas Magnesiæ; et quod a Doctore Pritchard admodum laudatur, Oleum Terebinthinæ sub forma emulsionis, cujus quidem dosis a semidrachma ad drachmas duas vel amplius, cum mucilagine, atque aqua quavis aromatica commistas, variat; efficacissima fortasse invenientur, etsi alia quoque complura exhibere liceat.

Pro causa excitante remedia adhibenda sunt. Si ab utero potissimum irritatio oriatur, maxi-

me elaborandum est, ut hujus organi conditio morbosa submoveatur. Si, ergo, epilepsia supervenerit, catameniis subito ab quamcunque causam cohibitis, vel ubi hæc intervallis regularibus profluere desinunt, vel si ætate solita haud eruperint, genus nervosum insigni modo turbari videtur, impetusque sanguinis male sani ad cerebrum facillime ingruunt. In his exemplis, si verbis Doctoris Pritchard hic uti fas sit, "The practical indications are, first, to relieve the morbid determination to the head; secondly, to restore the natural determination to the uterine system; or, thirdly, if that cannot be done, to bring the constitution into a state, in which the injurious effects of amenorrhœa are felt in a less degree." Ad primam ex his indicationibus perficiendam, sanguinis detractio maxime inservit: hæc auxilio balnei calidi, relaxationem vasorum extremorum generalem fluxumque humorum ad superficiem inducendo, fortasse vero magis adhuc vis nervosæ æquilibrium restituendo, actionem uterinam profluviumque necessarium reficere insigniter valet. Si hoc non bene cedat, enemata injiciantur, quæ indicationi secundæ inserviant. Et si hæc omnia spem fal-

lant, regimen accuratissime antiphlogisticum, cathartica perstanter sumenda, exercitationemque rusticam præscribere oportebit. Omnium autem forsitan remedia in talibus exemplis efficacissima, exinanitiones per fonticulas vel setacea arte institutæ præstabunt. In dysmenorrhœa curatio similis, quibusdam tamen sedulo provisis, necessaria erit; si enim depletio immodice adhibeatur, moram conaminibus naturæ salutiferis objiciet. Ubi a jecore causa excitans pendet, ei visceri remediis idoneis mederi conandum est. Si quando metastasis actionis morbosæ causa est, postquam indicia quæ magis urgent sustulerimus, ea quæ ante metastasin adfuerunt, restituere imprimis conari decet; et hoc profecto per balneum calidum et stimulantia localia effici queat. Sæpissime hydrargyrum ad ptyalismum inducendum sumptum profuit. Sicubi causa excitans ad intestina, quæ quidem nunquam negligenda sunt, referri potest, ad ista imprimis respicere oportet. Ventriculo et intestinis multum oneratis, vomitoria et purgantia postulantur. Postea actio eorum regularis et sana per laxantia servetur, corpore simul, quatenus fieri potest, corroborato. Ubicunque ab irritatione dentitionis in infanti-

bus epilepsia accedit, gingivæ scarificandæ sunt, atque cura idonea alvo adhibenda. Cura, denique, nostra in hoc malo tractando præcipua esse debet, primo, symptomata urgentia sublevare, secundo irritamenta quæcunque tollere, et tertio corpus roborando istum generis nervosi statum insignem, a quo morbus adeo pendet, submovere. Adhuc usque de prioribus duabus indicationibus potissimum tractavi; jam superest, ut paucis de postrema annotatis, hanc dissertationem ad finem perducam; et fortasse inter paroxysmos per intervalla hæc haud minime momenti est. Ad quodcunque vis nervosæ æquilibrium restituendum conferet, quamcunque actionem morbosam quoque tollere adjuvabit; ideoque, postquam symptomata urgentia sublata sunt, hæc fortasse sola ratio est, per quam iis redituris obsistatur. Cum hæc conditio a debilitate plurimum pendere videtur, quodcunque vires corporis foveat, ei submovendæ inserviet: hinc diæta et exercitatio sibi attentionem summam vindicant. Complura vero medicamenta, utpote non modo illis auxiliatura, sed morbum etiam radicitus summotura, laudantur. Inter hæc præparata ex cupro et argento recenseri possunt. Metallum prius cum

ammonia compositum in honore summo habitum est; multaque ejus utilitatis testimonia in Commentariis Medicis Edinensibus narrantur. Pilulæ cœruleæ, quasi ratio hoc medicamentum præcipiendi simplissima, laudatæ fuere. Dosis salis metallici a semigrano ad granum unum, si ventriculus tolerare potest, variat. Nitras argenti in hoc morbo præparatum utilissimum est. Hoc si diutius adhibetur, colorem quendam fuscum cuti impertit: sub forma soluti in aqua Menthæ aut pilularum, per doses primo semigrani, dari potest. Sulphas Zinci, itemque liquor arsenicalis, cum beneficio evidente præscripta fuere. Quidam irritabilitatem generis nervosi per sedantia superare conati fuerunt; quorum præcipua sunt, Camphor, Cajeput, Valeriana, Hyoscyamus, Stramonium, et Opium. Causæ autem excitantes adeo numerosæ sunt, morbusque ipse adeo complicatus, ut supervacaneum foret, exitum felicem, a classe quavis remediorum, semper sperare. Consilia medendi, prout res sese habeant, dirigi oportet. Morbus enim rationibus sibi invicem prorsus contrariis ad sanitatem perductus est, dum contra idem immedicabilis cunctis medicinæ conatibus restitit.

FINIS.